

crefcenre numero Reformatorum flatim ubi duodecim, aut fexdecim fratres de novo reformationem amplexati fuerint, unum, aut alterum Conventum dicte Reformationi commodum, pradictis quantum fieri poterit contiguum, juxta dictorum Reformatorum numerum non plures assignare, & dare teneantur Minister, & Definitores dicte Provinciae sub dictis poenis.

Quod infuper iuxta Statuta generalia, & Decretum dicti DD. N. anni 1625, unus ex Definitoribus dicte Provinciae eligatur, & assumatur ex Reformatis, qui rerum omnium ad dictam Reformationem spectantium curam accuratam habeat.

Ac tandem, quod in modo vestienti, mendicandi, ac vivendi ceteris Galliae Recollectis omnino dicti Reformati conformes existant; Nec ullis dicte Provinciae statutis teneantur, nisi in quantum generalibus Constitutionibus Ordinis, & maxime pro strictiori observantia factis conformia reperientur.

Datum Florentiae in Conventu nostro Omnium Sanctorum die 24. Maii 1636.

Fr. Jo. Baptista a Campanea Minister Generalis.

Fr. a Marcigniaco deputatur Visitator Provinciae ejusdem.

§.3. Idem Joannes Baptista Minister Generalis Te dicte Provinciae Turoniae Commissarium Visitatorem constituit, & deputavit, cum nonnullis tunc expressis facultatibus, prout plenius continetur in Patentibus ejus Literis desuper expeditis tenoris pariter subsequens, videlicet: Fr. Joannes Baptista a Campanea strictioris observantiae totius Ordinis Fratrum Minorum Generalis Minister, & servus, dilecto Nobis in Christo Patri Fratri Cherubino a Marcigniaco ejusdem Ordinis, & Instituti, nostrae vero Provinciae Sancti Francisci, Patri salutem in Domino sempiternam.

Monet Nos nostri muneris ratio, ut gravioribus obeundis negotiis eos Ordinis nostri deputemus, & destinemus alumnos, quos vita commendabiliores, pietati additiores, & intentae Reformationi propensiores esse noverimus. Cum igitur tempus advenerit, quo Provinciae nostrae Turoniae Capitulum celebrandum occurrit, ne id absque praevia visitatione praestetur, juxta laudabilem, & antiquam Patrum nostrorum consuetudinem memoratae Provinciae nostrae visitationi incunda, & absolvenda discretum, probum, & prudentem deputandum duximus virum. Unde de tuae vitae probitate, morum gravitate, doctrina idoneitate, prudentia, regularis observantiae zelo, rerumque agendarum dexteritate plurimum in Domino confisi, praesentium exemplo, atque vigore Te dicte Provinciae Turoniae Commissarium Visitatorem nominamus, instituiamus, & deputamus, plenariam tibi concedentes in hac parte auctoritatem nostram, qua ad Apostolicarum, & Generalium nostri Ordinis Constitutionum, necnon privatarum nostrarum instructionum praescriptum,

Conventus, & Monasteria, Fratres, & Moniales tam in capite, quam in membris visitare, processus conficere, carceribus mancipare, sententiarum, monere, corrigere, punire, absolvere, depravatos mores evellere, virtutes inducere, & caetera omnia praestare possis, & valeas, qua purioris Instituti Seraphici cultum, strictiorisque observantiae nostrae conservationem concernunt; Ac denique qua possis, praedicta visitatione absoluta, & caeteris omnibus, ut moris est, expletis Capitulum celebrare, Ministrum Provinciale, Definitores, & Guardianos, caeterosque officiales canonicos electos confirmare. Verum, ut facilius, opportunius, exactius, & commodius junctum tibi munus absolvere queas; praecipimus omnibus, & singulis ejusdem Provinciae Fratribus, & Monialibus, Superioribus, & subditis, in virtute sanctae obedientiae, & sub poena privationis propriorum officiorum, necnon excommunicationis late sententiae, quatenus te velut Commissarium nostrum, ut supra institutum, recipere, recognoscere, & revereri velint, & debeant, tibi in omnibus, quae nec animae suae, nec regulae nostrae contrariae sunt, prompte, & hilariter obtemperaturi, monentes te demum, & in Domino exortantes, ut in ejusmodi muneris executione nihil aliud penitus, nisi Dei gloriam, veritatem, justitiam, Fratrum nostrorum pacem, nostraque tandem Seraphicae Religionis decorem praeculis habeas. Vale, Deumque pro Nobis exora.

Datum Florentiae in nostro Conventu Omnium Sanctorum sexto Kalend. Junii anno 1636.

Fr. Joannes Baptista a Campanea Minister Generalis: & infra. De mandato Suae Reverendissime Paternitatis Fr. Franciscus Guerra Secretarius Generalis.

Locus * Sigilli totius dicti Ordinis.

§.4. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, praemissa dilecto filio nostro Francisco S. Laurentii in Damaso Diacono Cardinali Barberino nuncupato Sanctae Romanae Ecclesiae Vice-Cancellario nostro secundum carnem ex Fratre germano nepoti, dictique Ordinis apud Nos, & Sedem Apostolicam Protectori necessaria visa fuerint, dictusque Cherubinus illa omnia pro majori illorum firmitate, apostolicae confirmationis robore communiti plurimum desideret;

§.5. Nos dictum Cherubinum de Religionis zelo, aliisque laudabilibus virtutibus suis apud Nos fide dignorum testimonio plurimum commendatum horum intuitu specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque ecclesiasticis sententis, censuris, & poenis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, supplicationibus ejus nomi-

Quae omnia perit confirmari.

Urbanus confirmat.

nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati articulis, sive Decreta hujusmodi, necnon Constitutionem, & deputationem de persona dicti Cherubini in Commissarium Visitatorem dicte Provinciae Turoniae, ut praefertur, facta, & factas, apostolica auctoritate, tenore praesentium approbamus, & confirmamus, illisque inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiacimus, ac omnes, & singulos tam juris, quam facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus. Necnon articulos, & Decreta, ac Constitutionem, & deputationem de persona dicti Cherubini, ut praefertur, facta, & factas suum plenarium, & integrum fortiri debere effectum, etiam si Capitulum dicte Provinciae celebratum fuerit, ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari, decernimus.

Eidemque Cherubino aliqua mandata dnt.

§.6. Mandantes propterea in virtute sanctae obedientiae eidem Cherubino ad praefata, ut praefertur, destinato, ut convocet Patres dicte Provinciae Turoniae, & Definitores, ac per annum a sua receptione, & admisione, in dicte Provinciae computandum maneat visitando Conventus ejusdem Provinciae, ac caetera omnia, prout in dictis Literis, ac Articulis, seu Decretis ordinata continentur, exequendo, ac volentes, ut tam Minister, quam singuli Fratres dicte Provinciae subditi in omnibus praefatis eidem Cherubino obediant.

Obstantia tollit.

§.7. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac Ordinis, & Provinciae praefatorum, etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis Statutis, & consuetudinibus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Dat. die 2. Julii 1636. An. XIII.

Datum Romae apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die secunda Julii 1636. Pontificatus nostri Anno Decimotertio.

D XI.

Ex Regest. in Secret. Brevo.

Facultates Collegii Doctorum Civitatis Urbini super cognitione causarum.

URBANUS PAPA OCTAVUS

Ad perpetuam rei memoriam.

Expositio Incolarum Civitatis Urbinae, necnon Collegii Doctorum.

§.1. CUM, sicut pro parte dilectorum filiorum Communitatis, & hominum Civitatis nostrae Urbinaten., necnon Collegialium Collegii Doctorum ejusdem Civitatis, Nobis nuper expositum, fuit, Collegium praedictum, in quo admittuntur omnes ii, qui ex patre civis nati ad Doctoratus gradum Urbini promoventur, praetextu Literarum fel. rec. Julii II. super erectione dicti Collegii, & Pii V. Romanorum Pontificum Praedecessorum nostrorum super confirmatione certa concordiae inter eosdem Doctores, & tunc existit Bull. Rom. Tom. VI. Par. II.

sentem Archiepiscopum Urbinaten. super causarum cognitione in prima, secunda, & tertia instantis inita emanatarum, facultatem judicandi in causis appellationum, tam in foro seculari, quam ecclesiastico Status, ac Ducatus Urbini, aliarumque Civitatum, Terrarum, & Locorum per obitum quondam Francisci Mariae ultimi Ducis Urbini ad Sedem Apostolicam devolutorum, & nostro incorporationis Decreto comprehensorum, sibi competere praetendant.

§.2. Nos ejusdem Civitatis Communitatem, & homines, necnon Doctores praedictos ob praecipuum, quo illos amplectimur paterna charitatis affectum, specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque ecclesiasticis sententis, censuris, & poenis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, supplicationibus eorum nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, ne dubitari contingat, an dicta privilegia Julii II., & Pii V. adhuc durent, vel expiraverint per mortem dicti ultimi Ducis, tredecim ejusdem Collegii Doctoribus, ut infra eligendis, & pro tempore existentibus facultatem de caetero judicandi in causis appellationum Status praefati, aliarumque Civitatum, Terrarum, & Locorum supranarratorum tam in foro seculari, quam ecclesiastico, auctoritate apostolica, tenore praesentium concedimus, & impertimur: ita tamen, quod ex dicto Collegio dicti tredecim votantes, & quatuor, vel quinque supranumerarii, si opus fuerit, eligantur, qui eorundem votantium, si abfuerint, vel si suspecti allegati fuerint, vices in judicando supplere valeant; sed existente necessario votantium numero, ut infra dicetur, a dando, vel ferendo voto se abstinere debeant, nec judicare possint.

Tredecim ejusdem Civitatis Doctores, qui causas appellationum cognoscant, eligantur.

Horum Doctorum nominatio pro prima vice praefata vice Francisci Cardinali Barberino cedat.

Ac deinde a Collegio eligendi erunt.

Ex quibus tredecim votantibus quinque debeant esse Ecclesiastici;

§.3. Porro tam vacantium, quam supranumerariorum electio pro prima vice dilecto filio nostro Francisco Sancti Laurentii in Damaso Diacono Cardinali Barberino nuncupato Sanctae Romanae Ecclesiae Vice-Cancellario, nostro secundum carnem ex fratre germano nepoti, & in Statu, ac Ducatu Urbini, & praefatis aliis Terris, & locis hujusmodi nostro, & Apostolicae Sedis de latere Legato reservata sit, & censetur. De caetero autem deficiente aliquo ex supradictis tres a praedicto Collegio Doctores nominabuntur, quorum unus ab ipso Francisco Cardinali moderno, seu pro tempore existente Legato, vel ab hac Sede eligetur.

§.4. Inter hos tredecim Doctores votantes quinque ad minus erunt ecclesiastici non uxorati, sed incedentes in habitu, & tonsura clericalibus, ad quos solos dumtaxat causarum ecclesiasticarum cognitio

Ad quos solos ecclesiasticarum causarum cognitio pertinet.

pertinebit, in quibus laici se alias ingerere non valeant, nec possint, quam in dando eorum voto consultivo. In causis vero laicalibus ipsi votum dabunt, & ferent promiscue cum laicis, & eas prout juris erit terminabunt, non tamen votis secretis, sicut in praefatis Julii II. Praedecessoris nostri Literis concessum fuit, sed votis apertis, & in jure fundatis, & sententiae ad minus in causis ecclesiasticis a iudice, sive Ponente subscribentur non obitante stylo in contrarium faciente.

Pro censuram appellationis cognitionem nonnulla statuuntur.

§.5. Habebit Collegium mediante distinctione praedictam auctoritatem cognoscendi causas appellationum tam ecclesiasticas, quam laicales omnium, & quorumcumque iudicium Legationis supradictae, exceptis tamen Beneficialibus, & iis, quae juxta dispositionem Sacri Concilii Tridentini, vel alias de jure sunt inappellabiles, in secundis, seu tertiis instantiis, & in omnibus illis, in quibus dabitur appellatio, postquam iudicata fuerint a iudicibus ordinariis appellationum, ubi dicti iudices appellationum existunt, quibus nullum censetur illatum praedictum. Verum in causis ecclesiasticis pro earum definitione ad minus tres iudices, & in laicis ad minus quinque interveniant: & in illorum defectu, ut praefertur, supplebunt supranumerarii, & etiam in horum defectu poterunt subrogari alii iudices ad electionem, & de consensu partium, dummodo in causis ecclesiasticis pro earum definitione semper sint iudices ecclesiastici. In causis appellationum spectantibus, ut supradictum est, ad Collegium tam ecclesiasticis, quam laicalibus appellari non possit omisso medio: & si appellari contigerit, in iis nullus iudex se ingerere debeat, nisi in vim commissionis expressae manu nostra signatae, alias licitum sit eidem Collegio ad ulteriora procedere, non obstante quacumque inhibitione, & absque alicujus poenae incurfu, ipsumque Collegium reassumere inhiberi, & exequi possit, prout juris erit. Ubi vero Collegium iudicaverit in casu, quo dari debeat appellatio, ejus cognitio, seu commissio ad Vice-Legatum spectabit.

Facultas Collegio sua concedenda Statuta.

§.6. Praeterea eidem Collegio Statuta super modo cognoscendi causas, & pro felici ipsius gubernio necessaria, & opportuna condendi, illaque toties, & quoties sibi videbitur, & placuerit, alterandi, immutandi, & innovandi, salva tamen semper approbatione dicti Legati, sive ejus Vice-Legati, facultatem concedimus, & imperitumur, necnon doctorandi, & alia privilegia eidem Collegio competentia, dummodo sint in usu, nec sint revocata, neque sub aliquibus revocationibus comprehensa, Sacrisque Canonibus, & Conc. Trid. Decretis, Constitutionibusque Apostolicis non adversentur, auctoritate, & tenore praedictis approbamus, & confirmamus, illisque inviolabilis apostolica firmitatis robor adiciamus.

Clausulae.

§.7. Decernentes praesentes literas validas, firmas, & efficaces esse, & fore,

suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, distoque Collegio in omnibus, & per omnia plenissime suffragari. Sicque per quoscumque iudices ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores iudicari, & definituri debere, ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Obstantium derogatio.

§.8. Non obstantibus quibusvis Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, privilegiis quoque, Indultis, & Literis Apostolicis in contrarium praemissorum, quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & quorumcumque tenores praesentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permanentibus, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter, & expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die octava Julii 1636. Pontificatus nostri Anno Decimotertio.

Dat. die 8. Julii 1636. An.XIII.

DXII.

Jubilaeum universale ad divinam opem implorandam.

Ex Regest. in Secret. Breve.

URBANUS PAPA OCTAVUS

Universis Christianis praesentes literas inspecturis salutem, & apostolicam benedictionem.

Proemium.

Apostolatus Nobis desuper creditum ministerium Nos impulit assidue, ut diremptis inter catholicos Principes distidiis, animos illorum conciliare satageremus, pro comperto habentes, hinc populorum tranquillitatem oriri, qua magis facta, ac tecta religio catholica conservatur.

Ea refert, quae pro concilianda inter Principes pace gestata.

§.1. Nostris igitur hortationibus, & monitis per Nuncios ordinarios, & extraordinarios charissimum in Christo filium nostrum Ferdinandum Romanorum Regem in Imperatorem electum, atque utrumque Regem ad opportunam aliquam rationem incundam inducere curavimus, qua pax inter ipsos, & publica quies coalesceret, nullum officii genus praetermittentes, omnemque operam, & conatum, qui paterna nostra charitati erga catholicos Principes retinende congruens, & propterea tam proficuo operi facilius perficiendo magis conducere visus sit, indefinenter adhibentes, ut voti compotes efficeremur. Tandem propitio Dei numine res eo pervenit, ut dilectum filium nostrum Martium Sancti Angeli in Foro Piscium Diaconum Cardinalem Ginnettum nuncupatum nostrum in Alma Urbe Vicarium in spiritualibus generalem, ad praesentibus

tos Ferdinandum in Imperatorem electum, ac Reges, & Republicas, aliosque Principes majoris potentiae, nostrum, & Apostolicae Sedis de latere Legatum esse mittendum decrevimus, qui ad suum jam munus obeundum, mandatorum nostrorum idoneo comitatu munitus, se commisit itineri.

His publicis precibus adiungendas esse putat.

§.2. Quoniam vero sperare possumus fore, ut consilia, actionesque humanae quantumvis pia providaque suscepta eum, ad quem diriguntur scopum securius attingant, si illas dextera Domini faciens virtutem auxilii sui vi provehat, ac tueatur; Idcirco, ut immensa Dei Omnipotentis bonitas humilitatis nostrae pia studia, & vigiliis, necnon legationem ipsam felici succedet exitu, & quam mundus dare non potest, optatum populo suo supplicanti pacem benigne largiatur; ad communes quoque totius populi christiani preces recurrendum censuimus, ut saluberrimis poenitentiae, charitatisque operibus orationes sociatae, ad conspectum divinae majestatis ascendentes, coelestium miserationum, & cupitae pacis dona Nobis efficaciter impetrent.

Jubilaeum indicit.

§.3. Hoc autem, ut fructuosius, & majori cum spiritus ardore peragatur, ex veteri Ecclesiae Romanae omnium Matris, & Magistrae more, in praesentibus necessitatibus ejusdem Ecclesiae thesauros, quorum dispensatores a Domino constituti sumus, proferre, & largissime erogare decrevimus. Itaque ex parte omnipotentis Dei Patris, & Filii, & Spiritus Sancti omnes, & singulos utriusque sexus Christianifideles, tam in Alma Urbe nostra, quam alibi, ubicumque locorum constitutos, apostolica auctoritate paterne enixeque requirimus, monemus, & in Domino hortamur ad infra scripta devote peragendum, & adimplendum, & ad Deum Salvatorem nostrum orandum, ut per viscera misericordiae suae fidem catholicam protegere, & ab hostium conatibus, & insidiis defendere, haeresim extirpare, Principibus christianis pacem, & veram concordiam donare, ac praecipue praesentibus Ecclesiae necessitatibus subvenire dignetur.

Indulgentiam quae hic praescribitur peragentibus concedit.

§.4. Nos enim de omnipotentis Dei misericordia, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus auctoritate confisi, ex illa ligandi, atque solvendi potestate, quam Nobis Dominus meritis minime suffragantibus contulit, universis, & singulis Christianifidelibus in Alma Urbe praedicta degentibus, qui solemnem Processioni, quam ab Ecclesia Beatae Mariae Angelorum nuncupata Chartusien. Ordinis, ad Basilicam ejusdem Beatae Mariae Majoris etiam nuncupatam de Urbe feria quarta sequentis hebdomadae, quae erit decimasexta praesentis mensis Julii, una cum Venerabilibus Fratribus nostris Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalibus, Christianorumque Regum, & Principum apud Nos, & Apostolicam Sedem Oratoribus, omnibusque Praeclaris, & Proceribus, ac universo Clero, & Populo Bull. Rom. Tom. VI. Par. II.

agemus, interfuerint, vel qui in eadem, seu immediate sequenti hebdomada Basilicam, & Ecclesias praedictas saltem semel visitaverint, ibique devote, ut supra Deum oraverint, necnon feria quarta, & sexta, ac Sabbato ejusdem, vel sequentis hebdomadae jejunaverint, atque peccata sua confessi sequenti saltem die dominico Sanctissimum Eucharistiae Sacramentum, reverenter sumpserint, & elemosynas ad libitum, prout charitas singulis suggererit fecerint; ceteris vero omnibus, & singulis fidelibus extra Urbem existentibus, in quibusvis Civitatibus, Terris, & Locis, qui Processioni ab Ordinariis locorum, vel eorum Vicariis, seu Officialibus, vel de eorum mandato, & ipsis deficientibus per eos, qui inibi curam animarum exercent, prima, vel secunda hebdomada, postquam ad eorum notitiam haec nostra Litera devenerint, indicenda, & agenda interfuerint, vel Ecclesiam, seu Ecclesias per eosdem designandas saltem semel visitaverint, ibique, ut supra, Deum oraverint, ac feria quarta, sexta, & Sabbato alterius ex duabus hebdomadis ab eisdem deputandis jejunaverint, pariterque peccata sua confessi, ac Sanctissima Communionem recepti fuerint, & elemosynas similiter pro arbitrio suo fecerint, plenissimam omnium peccatorum suorum Indulgentiam, & remissionem, sicut in anno Jubilaei visitantibus certas Ecclesias intra, & extra Urbem concedi consuevit, tenore praesentium, concedimus, & elargimur.

Impediti quo pacto suppletur possunt, de clarat.

§.5. Navigantes vero, aut iter agentes, ut cum primum ad sua se se domicilia receperint, suprascriptis peractis, & loco interventus in processione, visitata Ecclesia Cathedrali, vel Majore, aut Parochiali loci ejusdem domicilii, eandem Indulgentiam consequi possint, & valeant. Regularibus autem personis utriusque sexus etiam in claustris perpetuo degentibus, necnon aliis quibuscumque tam laicis, quam ecclesiasticis secularibus, & regularibus, etiam in carcere, aut in captivitate existentibus, vel aliqua corporis infirmitate, seu alio quocumque impedimento detentis, qui supra expressa, scilicet jejunium, elemosynam, Ecclesiaeque, seu Ecclesiarum visitationem, ac interventum in Processione, & orationem, vel eorum aliqua praestare nequiverint, ut illa Confessarius, quem, ut infra, elegerint, eis in alia pietatis opera commutare, vel in aliud proximum tempus prorogare possit, eaque injungere, quae ipsi poenitentes efficere poterunt, pariter concedimus, & indulgemus.

Facultates Confessoris elargitur.

§.6. Cupientes autem omnes Christianifideles participes fieri hujus pretiosissimi thesauri, universis, & singulis utriusque sexus tam laicis, quam ecclesiasticis secularibus, & regularibus cujusvis Ordinis, Congregationis, & Instituti licentiam concedimus, & facultatem damus, ut sibi ad hunc effectum eligere possint quemcumque Presbyterum Confessarium tam secularem

larem, quam cuiusvis Ordinis regularem ex approbatis a locorum Ordinariis, qui eos ab omnibus excommunicationis, suspensionis, & aliis ecclesiasticis sententiis, & censuris a jure, vel ab homine quavis causa latis, seu inflictis, necnon ab omnibus peccatis, excessibus, criminibus, & delictis quantumvis gravibus, & enormibus, etiam locorum Ordinariis, sive Nobis, & Sedi Apostolicae etiam in Literis die Coenae Domini legi solitis contentis, & alias per quascumque nostras, aut Romanorum Pontificum Praedecessorum nostrorum Constitutiones, quarum tenores praesentibus haberi volumus pro expressis, quomodo-cumque reservatis in foro conscientiae, & hac vice tantum, non tamen a crimine haeresis, absolvere, & liberare valeant; Et insuper vota quaecumque (religionis, & castitatis exceptis) in alia pia, & salutaria opera commutare, injuncta tamen eis, & eorum cuilibet in supradictis omnibus casibus poenitentia salutari, aliisque ejusdem Confessarii arbitrio injungendis.

Jubilaeum ubi que locorum indicendum. statuit.

§.7. Quapropter tenore praesentium in virtute sanctae obedientiae districte praecipimus, atque mandamus omnibus, & quibuscumque Venerabilibus Fratribus Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, & aliis Ecclesiarum Praelatis, ac quibuscumque Ordinariis locorum, eorumque Vicariis, & Officialibus, vel iis deficientibus, illis, qui curam animarum exercent, ut cum praesentium Literarum transumpta, aut exempla etiam impressa acceperint, illa statim absque ulla mora, retardatione, vel impedimento per suas Ecclesias, & Dioeceses, Provincias, Civitates, Oppida, Terras, & loca publicent, & publicari faciant, ac Clericis, & Populis sibi subiectis solemnes processiones, & supplicationes, ut praesertur, indicant, & celebrent, Ecclesiamque, seu Ecclesias visitandas designent. Non intendimus autem per praesentes super aliqua irregularitate publica, vel occulta, nota, defectu, incapacitate, seu inhabilitate quoquo modo contracta dispensare, vel aliquam facultatem tribuere dispensandi, seu habilitandi, & in primum statum restituendi, etiam in foro conscientiae, neque etiam eandem praesentes iis, qui a Nobis, & Apostolica Sede, vel ab aliquo Praelato, seu Judice ecclesiastico excommunicati, suspensi, interdicti, seu alias in sententias, & censuras incidisse declarati, vel publice denunciati fuerint, nisi infra tempus celebrationis Jubilaei satisfecerint, aut cum partibus concordaverint, ullo modo suffragari posse, aut debere.

Contraria tollit.

§.8. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, praesertim quibus facultas absolvendi in certis tunc expressis casibus ita Romano Pontifici pro tempore existenti reservatur, nec non etiam similes, vel dissimiles Jubilaei indulgentiarum, & facultatum hujusmodi concessionibus, nisi de illis expressa mentio, aut specialis derogatio fiat, cuiquam suf-

fragari queant, necnon regula nostra de non concedendis Indulgentiis ad instar, ac quorumcumque Ordinum, & Congregationum, sive Institutum Regularium, etiam juramento, confirmatione apostolica, vel aliqua alia firmitate roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, Indultis, & Literis Apostolicis eisdem Ordinibus, Congregationibus, Institutis, illorumque personis quomodolibet concessis, approbatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, etiam si de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, & individua, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quavis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum tenores praesentibus pro sufficienter expressis, ac formam eorum traditam pro servata habentes, hac vice specialiter, nominatim, & expresse ad effectum praesentium derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Transumptis credi jubet.

§.9. Ut autem praesentes nostrae, quae ad singula loca deferri non possunt, ad omnium notitiam facilius deveniant, volumus, ut earundem praesentium transumptis, vel exemplis etiam impressis manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personae in dignitate ecclesiastica constitutae munitis, ubicumque locorum, & gentium, eadem prorsus fides habeatur, quae haberetur ipsis praesentibus, si forent exhibita, vel ostensa.

Dat. die 11. Julii 1636. An.XIII.

Datum Romae apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, die 11. Julii 1636. Pontificatus nostri Anno XIII.

DXIII.

Confirmatio Decreti Congregationis de Propaganda Fide, quo declaratur Collegium Hybernorum Lillae in Belgio non esse commune omnibus Regni Hyberniae Provinciis, sed pro solis duabus Provinciis, Lagenia scilicet, & media erectum fuisse.

Ex Regest. in Secret. Breve.

URBANUS PAPA OCTAVUS

Ad futuram rei memoriam.

§.1. Nuper pro parte dilectorum filiorum Collegialium Collegii Hybernorum Oppidi Insulen. Tornacen. Dioecesis Nobis expositum fuit, quod a Venerabilibus Fratribus nostris Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalibus negotio Propagandae Fidei praepositis emanavit Decretum tenoris subsequens videlicet: Decretum Sacrae Congregationis de Propaganda Fide habitae die 4. Martii 1636. Referente Eminentissimo Domino Cardinale Antonio Barberino instantiam Hybernorum, ut Collegium Lillae in Belgio erectum mediante Fratre Francisco Cappuccino declararetur, esse commune omnibus Regni Hyberniae Provinciis, Sacra Congregatio visa visita-

Refer. Decretum Congr. de Propaganda Fide.

Apostolica petitur confirmatio.

Urbanus confirmat.

Clausulas appoint.

Obstantia tollit.

Dat. die 20. Julii 1636. An.XIII.

Paul. V. Officium de Beata Theresia.

tione dicti Collegii, in qua dicitur Collegium praedictum fuisse erectum pro solis duabus Provinciis Lagenia scilicet, & media, instantiam praedictam, utpote contra fundamentum reject. Franc. Ingolus Sec.

§.2. Cum autem, sicut eadem expositio subjungebat, praefati Collegiales Decretum hujusmodi pro firmiori illius subsistentia, & validitate, apostolica nostra confirmationis robore communiri summpere desiderent;

§.3. Nos illos specialibus favoribus, & gratis prosequi volentes, & eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, & poenis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodate existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, supplicationibus illorum nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinatis, de eorumdem Cardinalium consilio, Decretum praesentium cum omnibus, & singulis in eo contentis, apostolica auctoritate, tenore praesentium confirmamus, & approbamus, illisque inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiciamus, ac omnes, & singulos tam juris, quam facti defectus, si qui desuper intervenerint, supplemus.

§.4. Decernentes illud, necnon praesentes Literas valida, firma, & efficacia existere, & fore, ut quosque plenarios, & integros effectus sorti, & obtinere; Sicque per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiti debere, ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§.5. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die vigesima Julii 1636. Pont. nostri Anno XIII.

DXIV.

Quod Officium Sanctae Theresiae Virginis recitari possit juxta Lectiones a Sacra Rituum Congregatione approbatas.

Hujus Sanctae Canonizationem vide in Constitut. LII. Gregor. XV. Omnipotens sermo. Tom. V. Par. V. fol. 37. Confirmatio vero praesentium facta circa habitum inter Fratres Discalceatos S. Theresiae, & Fratres primi instituti de Monte Carmelo legitur in Constit. CDLXXVI. hujus Pontificis Inter ceteras. ut supr. fol. 22.

URBANUS PAPA OCTAVUS

Ad futuram rei memoriam.

§.1. Alias a fel. rec. Paulo Papa V. Praedecessore nostro emanarunt

literae tenoris subsequens, videlicet: Paulus Papa V. ad perpetuam rei memoriam. In supremo apostolatus folio meritis licet insufficientibus divina dispensatione constituti, ad ea, per quae Servorum, & Ancillarum Christi honos, & veneratio in terris promoventur, juxta creditum Nobis desuper apostolicae servitutis officium libenter intendimus, & Christifidelium praesertim Catholicorum Regum id exoptantium votis libenter annuimus, eaque favoribus prosequimur opportunis, prout conspiciamus in Domino salubriter expedire. Alias siquidem nomine dilectorum filiorum omnium Religiosorum totius Ordinis Fratrum Carmelitarum Discalceatorum Beatae Mariae de Monte Carmelo Nobis exposito, quod bon. mem. Theresia a Jesu dicti Ordini Fratrum Carmelitarum Discalceatorum Fundatrix, tam multis, & eximiiis virtutum, & gratiarum, ac miraculorum donis a Domino illustrata fuerat, ut magna idcirco erga ejus nomen, & memoriam, Christifidelium devotio vigeret: & propterea non solum univrsus Ordo praedictus, sed etiam charissimus in Christo filius noster Philippus Hispaniarum Rex Catholicus, ac omnium fere Hispaniarum Regnorum Archiepiscopi, Episcopi, Principes, necnon Communitates, Universitates, & homines Nobis iteratis precibus humiliter supplicari fecerant, ut donec Canonizationis honor ab Apostolica Sede dictae Theresiae haberetur, sacrosanctum Missae Sacrificium, & Officium ab omnibus, & singulis dicti Ordinis utriusque sexus Religiosis personis de dicta Theresia, tamquam de una Beata Virgine agi, & recitari respectivo posset. Nos re prius per Venerabiles Fratres nostros S. R. E. Cardinales Sacris Ritibus Praefectos, quibus eam examinandam mandaveramus, mature discussa, de eorumdem Cardinalium consilio hujusmodi supplicationibus inclinatis, ut singulis annis in die depositionis dictae Beatae Theresiae, videlicet die 5. mensis Octobris, in omnibus Monasteriis, & Ecclesiis dicti Ordinis Fratrum Carmelitarum Discalceatorum ab omnibus ejusdem Ordinis Religiosis utriusque sexus Officium, & Missa de Beata Theresia praedicta, tanquam de una Virgine, necnon in Oppido Alvae Salmantinae Dioecesis in Monasterio, & Ecclesia, in qua corpus dictae Beatae Theresiae asservari asseritur, ab omnibus Presbyteris, tam secularibus, quam regularibus, cuiuscumque Ordinis, in dicta die 5. Octobris tantum Missa in honorem ejusdem Beatae Theresiae pro eorum devotione, juxta regulas Breviarii, & Missalis Romani recitari, & celebrari respectivo posset, concessimus, & indulimus. Et subinde de simili eorumdem Fratrum consilio, ut ex tunc in futurum in omnibus Ecclesiis quarumcumque Civitatum, & Dioecesium Regni Castellae veteris tantum Missa, & Officium de eadem Beata Theresia in die ejus depositionis praedicta dumtaxat, juxta rubricas Breviarii Romani, a quibuscum-

nonnullis in locis recitari posse concessit.

que utriusque sexus personis ecclesiasticis, servata alias in omnibus, & per omnia nostrarum super prioris gratia concessione expeditarum literarum forma, & tenore, celebrari, & recitari respectu libere possit, & valerit, concessimus, & indulgimus, aliasque prout in diversis nostris in simili forma Brevis desuper expeditis literis, quarum tenores presentibus pro sufficienter expressis haberi volumus, plenius continetur. Cum autem, sicut nomine dictorum Religiosorum Nobis nuper iterum expositum fuit, tam Philippus Rex, quam etiam Ordo predicti, attenta universali devotione erga dictam Beatam Theresiam omnium populorum non solum Regni Castellae veteris, sed etiam omnium aliorum Regnorum Hispaniarum, necnon Portugalliae, & Algarbiorum, concessionem, & indultum predicta ad universa Hispaniarum, necnon Portugalliae, & Algarbiorum Regna per Nos apostolica auctoritate extendi summopere desiderent: Nos supplicationibus eorum nomine Nobis super hoc iterum humiliter porrectis inclinati, de eorumdem Fratrum consilio, quod de cetero perpetuis futuris temporibus in omnibus Hispaniarum, ac etiam Portugalliae, & Algarbiorum Regnis dicta die 5. mensis Octobris ab omnibus utriusque sexus personis ecclesiasticis, secularibus, & regularibus Officiis, & a quibuscumque Presbyteris, tam secularibus, quam cuiusvis Ordinis regularibus, etiam Nulla de eadem Beata Theresia, servata alias in omnibus, & per omnia literarum predictarum forma, & tenore, celebrari, & recitari libere, & licite possit, & valeat, apostolica auctoritate, tenore presentium concedimus, & indulgemus. Non obstantibus omnibus illis, quae in dictis nostris literis volumus non obstat, ceterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem, quod presentium transumptis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo alicujus personae in dignitate ecclesiastica constituta, seu Procuratoris Generalis dicti Ordinis munitis, eadem prorsus fides adhibeatur in iudicio, & extra, quae presentibus adhiberetur, si forent exhibitae, vel ostensa. Datum Romae apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, die 3. Augusti 1617. Pontificatus nostri anno decimotertio.

Nova petitio Carmelitarum.

§.2. Cum autem, sicut pro parte Religiosorum dicti Ordinis Fratrum Carmelitarum Discalceatorum Beatae Mariae de Monte Carmelo Nobis nuper expositum fuit, approbati per Venerabiles Fratres nostros S. R. E. Cardinales Sacris Ritibus Praepositos tribus lectionibus, duobus hymnis, & oratione pro festo Sanctae Theresiae predictae, aliqui ex iis, qui praedictam habent facultatem, dubitaverint, an dictas lectiones, hymnos, & orationem recitare possint, & propterea eisdem Cardinalibus pro parte dictorum Religiosorum supplicato pro habenda desuper opportuna declaratione, iidem Cardinales responderint, tu-

to posse tam a secularibus, quam a regularibus, qui recitant Officium Sanctae Theresiae in die eius festo recitari cum lectionibus, hymnis, & oratione propriis approbatis ab eisdem Cardinalibus pro Religione Carmelitarum, prout in Decreto desuper sub die 18. Augusti 1629. emanato plenius dicitur contineri.

§.3. Nobis propterea Religiosi praedicti humiliter supplicari fecerunt, ut pro firmiori d. Decreti validitate, & substantia illud apostolica confirmationis robore, communire de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur piis dd. Religiosorum votis, quantum cum Domino possumus, annuere, illosque specialibus favoribus, & gratis prosequi volentes, & a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdictionis, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, & poenis a iure, vel ab homine, quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet inmodati existunt, ad effectum presentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutos fore censentes, supplicationibus eorum nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, Decretum praedictum, apostolica auctoritate, tenore presentium approbamus, & confirmamus, illicque perpetuae, & inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiacimus, ac omnes, & singulos, tam juris, quam facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus.

§.4. Decernentes, praesentes literas validas, firmas, & efficaces existere, & fore, dictisque Religiosis in omnibus, & per omnia plenissime suffragari, Sicque per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiti debere, ac irritum & inane, si secus super his a quocumque quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§.5. Non obstantibus omnibus illis, quae dictus Paulus Praedecessor in Literis praedictis voluit non obstat, ceterisque contrariis quibuscumque.

§.6. Volumus autem, ut presentium transumptis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo alicujus personae in dignitate ecclesiastica constituta, seu Procuratoris Generalis dicti Ordinis munitis, eadem prorsus fides adhibeatur in iudicio, & extra, quae presentibus adhiberetur, si forent exhibitae, vel ostensa.

Datum Romae apud Sanctam Mariam Majorem, sub Annulo Piscatoris, die vigesima tertia Julii 1636. Pontificatus nostri Anno Decimotertio.

Concessio, de qua in Rubr.

Decretum irritans.

Derogatio contrariorum

Transumpti danda fides.

Dat. die 23. Julii 1636. An. XIII.

Car.

D X V.

Ex Reges. in Secret. Brevis.

Cardinali ab Auria committitur publicatio Brevis in Sicilia, quo Regi conceditur Decima ab Ecclesiasticis perfolvenda.

Breve cujus hic fit mentio, vide supra in Constitut. CDLXXV. fol. 20.

Dilecto filio nostro Joannettino tituli S. Petri in Monte Aereo Presbytero Cardinali ab Auria nuncupato Ecclesiae Panormitan. ex concessione, & dispensatione apostolica Praesuli.

URBANUS PAPA OCTAVUS

Dilecte filii salutem, & apostolicam benedictionem.

Recenset Breve citatum in Rubrica.

§.1. Aliis a Nobis emanarunt Literae tenoris subsequentis, videlicet: Urbanus &c.

Card. ab Auria, ut Decretum hujusmodi in Sicilia Regno publicari faciat, & mandet.

§.2. Quare cupientes, praefertat Literas nostras hujusmodi, etiam quoad Regnum Siciliae ultra Pharus, executioni demandari, circumspeditioni tuae per praesentes injungimus, ut praefertat Literas nostras praedictas, omniaque, & singula in eis contenta, respectu Regni Siciliae ultra Pharus hujusmodi dumtaxat publicans, ad omnimodam illarum executionem cum omnibus, & singulis facultatibus in eis contentis, & servata in omnibus, & per omnia illarum forma, auctoritate nostra devenias.

Cum facultate ad censuras etiam procedendi.

§.3. Contradictores quoslibet, & rebelles pro sententias, censuras, & poenas, aliaque opportuna juris, & facti remedia, appellatione postposita compescendo, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii secularis.

Derogatio contrariorum

§.4. Non obstantibus omnibus illis, quae in praefertat Literis hujusmodi volumus non obstat, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die vigesima octava Julii 1636. Pontificatus nostri Anno XIII.

D X V I.

Erectio Montis Communitatum Status Ecclesiastici Tertiae Erektionis nuncupati.

URBANUS PAPA OCTAVUS

Mota proprio, &c.

Recenset similes erektiones a Clemente VIII., & Paulo V. factas.

Licet alias felicitis recordationis Clemens Papa VIII. Praedecessor noster, ut Communitates, & Universitates Status Ecclesiastici ab are alieno per eas diversimode contracto, gravioribus interfusis sublevaret, Montem non vacabilem Communitatum Status Ecclesiastici nuncupatum,

ad rationem scutorum quinque, & juliorum duorum monetae pro quolibet centenario, & anno, in quo postea dictae Communitates, & Universitates dicti Status pro censibus extinguendis, aliisque earum necessitatibus reparandis admittae fuerunt, crexerit, & instituerit; deindeque similis memoriae Paulus Quintus etiam Praedecessor noster pro servitio, & commodo earundem Communitatum alium Montem non vacabilem Communitatum, & Universitatum Status Ecclesiastici Secundae Erektionis nuncupatum, ad rationem scutorum quatuor cum dimidio ejusdem monetae pro quolibet centenario, & anno crexerit pariter, & instituerit, in quo etiam Communitates praedictae pro diversis summis pro earum necessitatibus participarunt.

Causaeque novi Montis erigendi.

§.1. Nos nihilominus, quia, sicut accepimus, nonnullae Communitates dicti nostri Status adhuc non solum remanent debitorum pro diversis summis in primordiale Montis Communitatum, & aliis Montibus Cameralibus, verum etiam diversis aliis debitis, pro quibus majora interfusaria sustinent, gravatae reperiuntur, eisdem Communitatibus, & Universitatibus, quantum possumus, prodesse cupientes, alium Montem non vacabilem Communitatum, & Universitatum dicti nostri Status Ecclesiastici Tertiae Erektionis nuncupandum ad eandem rationem scutorum quatuor cum dimidio monetae pro quolibet centenario, & anno, ex quo omnes Communitates dicti nostri Status non solum pro extinctione censuum, sed etiam dictorum locorum, Montis Communitatum, & aliorum locorum Montium, & debitorum, pro quibus majora interfusaria solvunt, pro eorum extinctione, & redemptione, ac pro aliis pro tempore occurrentibus necessitatibus pecunias in promptu habere valeant, erigere, & instituire deliberamus.

Erigit Montem Communitatum.

§.2. Motu igitur simili, ac ex certa scientia, & deliberatione nostris, deque apostolica Nobis attributa potestatis plenitudine, Montem non vacabilem Communitatum, ac Universitatum Status nostri Ecclesiastici Tertiae Erektionis nuncupandum pretio scutorum centum monetae pro quolibet loco redimibilem pro beneficio, & commodo omnium Communitatum, & Universitatum dicti nostri Status Ecclesiastici locorum quatuor millium, & pro ea summa, & quantitate locorum, quae pro censibus, locis Montium, & are cuiusvis generis alieno, legitime tamen, & debitis cautelis, & solemnitatibus contracto, pro quibus majus interesse scutorum quatuor cum dimidio pro singulo centenario, & anno quolibet perfolvitur, redimendis, & penitus extinguendis sufficiens fuerit, & cujus singulorum locorum pretia scuta centum monetae, fructus autem annui, quos illius creditoribus pro rata pecuniarum in eo expositarum singulis annis de bimestri in bimestre in fine proportionabiliter libere, & sine aliquo impedimento hic Romae solvi volumus, annua scuta